

MEISNE

1019

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Decima Octava,

De

COMMUNICATA

CARNI ASSUMTÆ OMNI-
POTENTIA.

Quam

Annunte Θεωρεώπω

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum
proponit*

PETRUS RAM Dithmarfus.

*Habebitur ad diem 9. Maij, horis
pomeridianis*

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ

JOHANNES Gormann excudebat,

Anno cl. L. CXXIV.



DISPUTATIO VI.

(a) Ep 1. ad
Successum.

Verum esse, quod Cyrillus (a) ait:
Vitæ corpus est glorificatum clari-
tate Deo dignissima, Superiori dispu-
tatione in genere probatum est: Nos igitur bono
jure bonaq; methodo ad specialiora descendimus,
hac disputatione proposituri. 1. Idiomatum com-
municatorum enumerationem. 2. Statum contro-
versie hujus disputationis. 3. Probationem com-
municatæ παντοκρησίας in genere. 4. In spe-
cie διωάμεως ζωπτηηικης Ιανια τ8 ρηικης
α Φαιρέσεως αμαρτημάτων κελικης. 5. Non-
nullorum adverse partis argumentorum dilutio-
nem. 6. Practicam conclusionem.

CAPVT I.
Enumera-
tio Idio-
matum.

II. Licet igitur tota Deitatis plenitudo in Christo
inhabitet Col. 2, 9. totumq; verbum caro sit fa-
ctum Joh. 1, 14. Non omnia tamen λόγ8 attri-
buta de carne assumta perinde dicuntur, sed ea
tantum, quæ ad obeundum Redemptionis munus
requiruntur. Quo enim sine λόγ8 carnem as-
sumsit, eo etiam suas excellentias proprias eidem
communicavit, nimirum ut opus Redemptionis o-
jus modi διποτελεισµασι perageret.

III. Attribuuntur autem Christo Redemptori in
scriptura hæc attributa, 1. Omnipotentia, &
nomi-

3
nominatim quidem, vis vivificandi, miracula e-
dendi, remittendi peccata, & iudicium exercen-
di. II. Omniscientia. III. Omnipræsentia
ejusq; modi & gradus diversi. IV. Cultus ado-
rationis, &c. Et in his attributa reliqua, ut infi-
nitas &c. ita confluunt, ut hæ δωάμεις non fini-
ta & creata &c. sed infinita, increata &c. di-
cantur, sint & maneant.

IV. De æternitate hic aliquis dubitare posset,
an & illa immediatè sit communicata, cum æter-
ni sacerdotis in scriptura fiat mentio (b) sed
nos respondemus. Sacerdotem æternum dici Chri-
stum ratione æterni officij, ut ex contextu, & ma-
ximè ex collatione Aaronis & Melchisedechi appa-
ret. Ideo & in hoc loco distinctio illa observanda
est inter attributa DEI ἐνεργητικά, & ἀνεργη-
τικά, ab illis denominari potest Christus imme-
diatè, ab his vero non item.

V. Ad omnipotentiam autem quod attinet, Cre-
dimus & confitemur, non finitam tantum aliquam
& creatam sed verè infinitam, ipsiusq; λόγος pro-
priam potentiam Christo secundum carnem esse
communicatam; eamq; unam agnoscimus non du-
plicem aut triplicem, qua totus Christus, seu ambæ
nature personaliter unitæ orbem terrarum, præci-
puè vero Ecclesiam gubernant, credentes vivifi-
cant, eiq; peccata remittunt &c.

VI. Contradicentes habemus maxime Calvi-
nianos, qui licet ipsi diversas abeant in sententias

(b) Hebr.
6.29. & a-
libi ex Ps.
110, 4.

C. II. status
Contro-
versia.

dum alij vix verbalem carnū Christi omnipotentiam agnoscere videntur. (Sic enim & Jeſus ille (c) Contra Simonius (c) Humanam naturam dicit omnisciegkium potentem vocari, perinde ut si quis calamum intelligendum esse dicat, quia homo, qui calamo, ut instrumento utitur, sit intelligens) alij summam quidem contendunt, creatam tamen, Oecolampadius $\delta\pi\sigma\tau\acute{o}\mu\epsilon\omega\varsigma$ omnem omnino negat. Quidam duplicem fingunt, Jacobus ad Portum (& qui eum sequuntur) mediam constituit, quæ neq; divina, neq; creata sit, tamen vulpecularum instar Samsonis, in hoc conspirant omnes, ut in creatam potentiam carnū Christi derogent.

VII. Sit igitur status controversiæ talis: An Christo secundum carnem verè & realiter communicata sit divina & λόγος propria omnipotentia, qua omnia gubernet, & credentes vivificet &c? Affirmamus nos, Calviniani negant. Nostram sententiam ordine probabimus, & primo quidem generaliter.

CAP. III. VIII. Idq; 1. dictis Scriptura, quæ forma Syllogistica comprehendimus hoc modo: Cuicunq; data est. 1. potestas æterna. 2. potestas in cælo & in terra 3. potestas omnis carnis. 4. omnis creaturæ, quæ sub terra, super terram, in mari & in cælo est. 5. cui omnia tradita sunt in manus. 6. & subjecta pedibus, nihilo excepto, illius potestas est infinita & divina. Talis autem potestas data est Christo ho-

sto homini seu secundum carnem. Ergo. Cum autem non tantum Minorem, verum in quibusdam dictis etiam Majorem negent, utramq; ubi opus videbitur ordine probabimus.

IX. 1. Filio hominis data est potestas aeterna Dan. 7, 14. Huic testimonio quod opponant vix inveniunt adversarij, cum expresse nominetur humana Christi natura, cui divina potestas data est (quicquid enim aeternum, id divinum) ab antiquo dierum. Nec potestatem aliquam absq; potentia fingere possunt; in Hebraeo enim est קָדְשׁ à radice קָדַשׁ , quod vocabulum non tantum potestatem habere, sed dominium exercere significat: Vide Eccles. 2, 19. c. 8. 9. Neh. 5, 15. Esth. 9, 1. &c.

X. 2. Data est ei potestas in caelo & in terra Matt. 28, 18. Hoc quoq; dictum de humana natura intelligendum esse, probant haec ex textu desumpta argumenta. 1. Circumstantia temporis post resurrectionem. 2. Valedicit Christus discipulis ab eis recessurus. 3. Eisdem consolatur promissione sua praesentiae, adeoq; voluntatis, cui substernit omnem potestatem tanquam fundamentum, ut constet de facultate. 4. Commendat eis ministerium Evangelij. Haec omnia vel directe referuntur ad humanam naturam, vel notant officium, à quo excludi humanitas non potest.

XI. $\text{Καὶ τὰς οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν}$ autem Calvinianorum nihil moramur, tum eorum, qui potestatem hanc terminis caeli & terra includunt. Cur enim non eodem

modo cum Vorstio infinitam Dei essentiam negamus, qua simili paraphrasi in scriptura describi solet? Esa 66, 1. Jer. 23, 24. vide Ps. 136, 6. tum ipse etiam Iehovah hoc titulo gaudet, Gen. 14. 22. c. 24 3, 7. Esa. 5, 11. Luc. 10, 21. Matt. 11, 25. Apoc. 17, 24. tum aliorum, qui in voce ἑξουσία cavillationes querunt. 1. Ipsa enim δυνάμις Christo data dicitur, ut audiemus. 2. ἑξουσία plus est quam δύναμις, hoc enim esse potest absq; illa, ac illa absq; hac (in rebus divinis) nullo modo. 3. merum esset ludibrium si potestas aliqua daretur absq; vi 4. conferantur, r. Par. 29, 11. Ps. 103, 19. Prolixora quere

(a) Phil. apud clariss. Du. Præsidem (a) ut & Menzerum, (c) Hutterum (d) & alios.

2. app. Q. 1. XII 3. Potestas omnis carnis Joh. 7, 2. Illi natura

(b) lib. de re data est que opus habebat clarificatione λόγου & d. ab. Nat. autem non habebat ea opus, semper enim operatur Joh. 5, 17. & se exeret. Neq; de manifestatione intelligi hic locus potest, que demum plena erit in

133. (c) Antinovissimo die, vide Heb. 2, 8. confer. 1. Pet. 4, 13. Mart. p. m. necesse est igitur, ut de reali donatione eum interpretemur.

(d) in F. C. XIII 4. Ap. 5, 12. hanc δυνάμιν ἑξουσίαν vere divinam esse, probat 1. luculenta descriptio, qua quicquid creatum est huic agno subicitur. 2. angelorum & 24. Seniorum celebratio, qui si creatam aliquam potestatem tantopere celebrarent, nimium fecisse videri possent. Et humana natura satis expresse innuitur, tum quia Agnus potestatem hanc accepisse legitur, tum quia talis Agnus celebratur, qui excisus est, Deus autem meri non possit.

XIV. 5. Omnia ei tradita sunt in manus Joh. 3. 35. Nullam videmus necessitatem cur vocabulū omnia sit restringendum, nec ipsa restrictio additur, ideo divinam potentiam inuere non dubitamus. Natura autem illi tradita sunt. 1. quæ Spiritu S. absq; mensura donari opus habuit. 2. cui qui credit vitam habet eternam, & qui non credit non videbit vitam &c.

XV. 6. Omnia ei sunt subiecta Ps 8. 8 & ita quidem ut nihil possit excipi Heb 2. 8. præterq; u. qui subiecit ei omnia 1. Cor. 15. 26. Sunt autem Christo omnia subiecta secundū eam naturam. 1. quæ minorata est paulo ab Angelis. 2. Quæ ob passionem gloria & honore conari meruit Heb 2. 9. Αθεόλογοι autem de Deo seu λόγῳ talia affirmare Mal. 3. 6. stat igitur conclusio, Ergo Christo homini seu secundum humanam naturam communicata est omnipotentia infinita, adeoq; verè divina. Idem probari posse ex Ps 110. Matt. 11. Joh. 13. 1 Cor. 15. Eph. 1. Phil. 1. sed breuitatis ratio habenda.

XVI. 2. addimus has rationes. 1. Qui factus est $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\omicron\varsigma$ totius plenitudinis Deitatis. 2. Qui sedet ad dextram virtutis Dei. 3. cuius opera sunt verè infinita. 4. Qui efficaciter in ministris suis operatur illius potestas necesse est ut vere sit infinita. Atqui Christus secundum humanam naturam est $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\omicron\varsigma$ totius plenitudinis Deitatis Col. 2. 9. 2. sedet ad dextram Dei (quia 1. sessio ei data est tempore. 2. ordo Articulorum in symb. Ap. id postulat.

2. Rationib.

3. est consequens passionis Christi Phil. 2, 8. & 9. Pf. 110. ult. 4. clara litera testatur Matt. 26, 64. 5. donata ex gratia Phil. 2, 9.) 3. opera eius sunt infinita Act. 4, 7. & 10. 1. Tim. 1, 12. 2. Tim. 4, 17. 4. efficaciter operatur in ministris. Marc. 16, 20. Ergo.

3. Pat. test. XVII. Subjicimus. 3. quedam Patrum testimonia, sic igitur Damascenus: (a) Humana Christi voluntas naturaliter quidem omnipotens non erat: ut autem verè & secundum naturam DE I verbi voluntas est facta, ita & omnipotens est. (b) in Ioh. cap. 3. Theophylactus: (b) Omnia dedit in manum Filij juxta humanitatem. Nicephorus (c) Christus à discipulis in Galilea monte conspicitur & sibi à Patre summam potestatem cœli & terræ, juxta humanam scilicet naturam traditam esse confirmat. (d) lib. 5. Vigilius (d) Divina natura non indiget honoribus sublimari, dignitatis perfectionibus augeri, potestatem cœli & terræ obedientiæ merito accipere. Secundum carnis igitur naturam exaltatus est, honoratus, coronatus, melioris nominis dignitatem adeptus; Qui secundum naturam verbi nihil horum eguit aliquando, ut sc. potestatem cœli & terræ, hereditatem gentium & subjectiorem universorum ex tempore acciperet. Num quid enim potestatem & dominium creature suæ conditor non habebat, ut novissimis temporibus muneri gratia his potiuntur? Hactenus de omnipotentia, post hac breviores erimus.

18. Acces-

XVIII. Accessum faciamus ad vim vivificatri- CAP. IV.
 cem, quæ, ut est una eademq; persona, in qua & Probatio
 natura divina & λόγος & natura ejus humana specialis 1.
 subsistit, sic & ipsa una est & eadem, qua & divi- δυνάμειως
 na & λόγος natura dicitur vivificare, & natura ζωοποιη-
 ejus humana. Modus autem attributionis diversus, ἕκαστος
 quia divina natura tribuitur per se, κενόως,
 πρώτως, originaliter. Natura vero humana non
 ita, nec subjective, nec ut propriet as aut qualitas
 carnis, sed καὶ ἄλλο, δεύτερως, personaliter; ut
 vita per unionem particeps, non per essentiam sed
 propter λόγον, non φυσικῶς, sed ὡσεὶ φυσι-
 κῶς, adeoq; cum dicimus: Caro Christi est vivifi-
 ca, idem est ac si diceremus; Christus (qui secun-
 dum Deitatem ipsa vita est) est vivificus secundam
 carnem quatenus illam personaliter sibi habet uni-
 tam, & vim vivificandi reipsa communicavit.

XIX. Hanc sententiam probamus. 1. dictu, hoc mo-
 do: Quicumq; 1. nos cibatur & potatur ad vitam eter-
 nam. 2. dat aquam vitæ. 3. Est Ecclesiæ caput, ex
 quo omnia membra auferuntur & c. ille verè potest
 virtute vivificandi. Christus secundum humanam
 naturam & c. E. Minorem probabimus ordine.
 XX. 1. Cibatur nos ad & c. Joh. 6. Carnem suam Chri-
 stum intelligere ita probo. 1. Panis vitæ est vivificus
 Caro Christi est panis vitæ, v. 51. E. 2. Quod fa-
 cit nos eternum vivere, i. e. vivificum caro Christi
 facit nos eternum vivere. v. 54. E. 3. Quod opponitur

1. Dictum

Δ 5

Man.



Manna, quæ mortem à Patribus arceri non potuit id est vivificum, v. 58. Caro Christi opponitur Manna, E. Non autem Christus in hoc textu meritum ponendo tollit efficaciam, sed ex merito arguit efficaciam, Deinde jubet edere carnem, ut vitam habeamus. Qui hic applicationem, & vivificandi $\kappa\upsilon\sigma\epsilon\gamma\epsilon\sigma\alpha\upsilon$ non videt, is noctuarum instar in clara luce cecutit.

XXI. 3. Dat aquam vitæ Joh. 4. 14. Si conferamus hunc locum cum Actor. 2. 33. humane nature hoc beneficium competere videmus: Nam secundum quam naturam Christus exaltatus est, secundum eam promisit fluentia vitæ. Iam verò secundum humanam naturam exaltatus est. Ergo.

XXII. 4. Est caput, ex quo membra auferunt Eph. 1, 22. c. 4. 15. c. 5, 25. Col. 1, 18. c. 2, 10. Secundum a. humanam naturam Christum esse caput Ecclesiæ nulla specie verisimili negari potest. Nam caput esse pertinet ad officium, à quo qui naturam humanam excludere volunt, nimis agunt temerarie.

2. Rationib.

XXIII. 2. Rationes has damus. 1. Si caro Christi vivificanti $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ unita est in unam personam. 2. & $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ eum in finem carnem sibi univit, ut homines à morte ad vitam reduceret, sequitur carnem esse vivificam. Verumptius. E. Plures brevitate ergo omittimus.

3. Dictis Patrum.

XXIV. 3. Dicta Patrum hæc sunt. Damas. (a) caro Domini erat mortalis per se, & vivificans pro-

propter unionem ad λόγον secundum personam.

Cyrillus (a) Quamvis natura carnis ut caro est (a) l. 3. c. 17
vivificare nequeat, facit tamen hoc quia totam (b) l. 4. in
verbi operationem suscepit. Conc. Eph. (c) εἰ τις Ioh. 6. 15.
ἢ οὐκ ὁμολογεῖ τὴν τῆς κυρίου σάρκα ζωοποιόν, (c) Anath.
ὅτι γέγονεν ἰδίᾳ ἔ λόγος ἔ τὰ πάντα ζωοποιεῖν 11.

ἰχθύοντες, ἀνάθημα ἔστω. Iterum Cyrillus (a) itidene
(a) Indecens omnino esset, si ignis quidem quali- in c. 15. Ioh.
tatem suam conjuncta sibi materia possit immit-
tere, ac eodem modo materiam in se transmuta-
re: λόγος autem Dei proprium & naturale
bonum, id est, vitam conjuncta sibi carni non
posset infundere &c.

XXV. Sequitur jam virtus θαυματουργική, quae
magna ex parte ex superioribus intelligi potest.
Dicimus autem hanc vim carni non esse natura-
lem, nec eidem subjective inherere, neque dupli-
cem agnoscimus, sed una eademque vi λόγον in as-
sumpta carne miracula edere, ut caro se habeat, ut
instrumentum non ἀεργον sed σὺεργον, firmi-
ter statuimus.

2. θαυμα-
τουργική.

XXVI. Producimus 1. sequentia dicta. 1. Αὐτοῦ.
10. 38. & sic argumentamur. Secundum quam
naturam 1. Iesum unxit Deus spiritu sancto, & po-
tentia 2. & Deus cum erat, secundum eam etiam
naturam Christus beneficia dedit & sanavit op-
pressos &c. Atqui illa competunt Christo secundum
humanam naturam E. 2. concionem Petri Αὐτ.
3. cuius haec est summa: Non nostra virtute fecimus

1. Dictis.

ut hic ambularet, sed virtute Iesu quem vos crucifixistis. Hinc duplex eruiamus argumentum. 1. Qui dedit aliis potestatem sanandi, & 2. est ipse autor vite, is pollet ea virtute: Christus secundum humanam naturam, quæ crucifigi potuit, dedit aliis, & est autor vite. E.

2. Exemplis XXVII. Hoc ipsum 2. probant exempla miraculorum, in quibus membrorum corporis vel expressè vel implicite fit mentio. Manus: Matth. 8, 3. & 15. Marc. 5. 41. c. 8. 23. Luc. 8. 54. c. 13. 13. Digitorum: Marc. 7. 33. Sputi Marc. 8. 23. Joh. 9, 6. Vocis. Luc. 7. 14. c. 13. 12. Matth. 8. 3. Joh. 43. Tactus Matth. 9. 29. c. 20. 33. Luc. 22. 51. &c.

3. Patribus VIII. 3. Sic Patres Eusebius (b) Divinam operationem miscuit Incarnationi supra hominem exhibens miracula. Cyrillus (c) Quare non potius, sicut apud Lazarum contentus fuit sermone ad resuscitandam puellam, sed & tenuit manum illius? nimirum, ut ostenderet, vivificum ejus corpus: Corpus enim est vita.

3. Remittendi peccata. XXIX. Breviter jam de potestate remittendi peccata. 1. Probamus eam ex Es. 43. 25. Qui 1. pertulit labores. 2. non est invocatus à Iudæis, nec oblationibus honoratus &c. is potestatem habet remittendi seu delendi iniquitates. Christus secundum humanam naturam pertulit &c. Ergo. 2. Matth. 9. 6. Hic. 1. disertè nominatur Filius hominis. 2. Christus opponit hæc verba Scribis soli Deo id opus ascri-

asscribentibus, conser Marc. 2, 3. Luc. 5, 21. 3. tur-
ba ideo Deum glorificavit, quod eam potestatem
dederit hominibus, maxime Christo. Brevitatis
gratia omittimus reliqua loca huc facientia, ut
Dan. 9. Matth. 1. Joh. 1. Item Act. 20.
Heb. 9. &c.

XXX. 2. Ex rationibus. 1. Quia pertinet ad offi-
cium Christi. 2. sanguis ejus effusus est in remissio-
nem peccatorum Matth. 26, 28. 3. & per san-
guinem habemus redemptionem Col. 1, 20. 1. Pet.
1, 19. justificationem Rom. 5, 9. &c. Ergo.

XXXI. Hinc Ambrosius (d) Mors Christi justifi- (d) in c. 4.
catio est peccatorum. Et Chrysostomus (e) Gal.
Cruce Christi totius beatitudinis nobis causa est. (e) in c. 6.
Hec nos à cecitate liberavit, è tenebris reddidit Esaiæ.
luci, debellatos quieti sociavit, alienatos Deo con-
juxit, peregrinantes fecit cives. Hec firma-
mentum pacis, discordia amputatio, bonorum o-
mnium abunda largitio.

XXXII. Restat potestas judiciaria, quam pau- 4. Faciendū
cissimis absolvemus. Probamus eam 1. ex Joh. 5, judicium.
27. ubi notandum, quod 1. eam in tempore datam
esse moneat Lucas c. 22, 69. 2. particula δεξι-
κῆ ὄτι ipsam notet humanam naturam. 2. Act. 17.
1, 11. Qualis ascensus, talis reditus & judicium.
Ille fuit visibilis & humanæ naturæ competens,
B. 3. Act. 10. 42. constitutus Iudex dicitur un-
ctus, crucifixus &c. 4. Act. 17. 31. dicitur Vir
5. Dan 7. 13. & 14. legitur potes as hac data Filio
hominis

hominis. 6. Ap 5. 19. Agno occiso. 7. ei quem videbit omnis oculus Ap. 1, 7.

XXXIII. Hinc Cyrillus (a) Christus causam subiecit, quare vitam & potestatem Iudicij sibi à Patre datam dixerit, dicens. Quia filius hominis est, ut intelligamus, omnia sibi data esse ut homini. Unigenitus enim filius non vitæ particeps sed vita naturaliter est.

XXXIV. Exanimandæ jam essent Adversariorum objectiones, sed instituti nostri ratio non patitur fusius de eis agere, unam tantum alteramve subjiciemus: Sic solent contra Omnipotentiam arguari: Qui est omnipotens, is alterius opem non implorat. At Christus secundum humanam naturam Patris opem imploravit. E. Resp. 1. Dist. inter id quod sit $\epsilon\pi\lambda\omega\varsigma$, & quod sit per $\omicron\mu\nu\nu\omicron\mu\epsilon\iota\sigma\epsilon\nu$. Cause fuerunt aliæ cur Christus opem Patris imploravit. 1. missus enim erat ab ipso in mundum. 2. quia fratribus suis per omnia fieri debebat $\omicron\mu\nu\nu\omicron\mu\epsilon\iota\sigma\epsilon\nu$, ut tentatus fidelis esset Pontifex. Heb. 2. 17. c. 4. 15. Ph. 2. 7. 2. Status sunt discernendi. Tempore enim Exinanitionis habuit quidem reverentiam Omnipotentiam sibi communicatam: sed $\kappa\tau\eta\sigma\tau\epsilon\iota$ tantum, non verò $\chi\epsilon\eta\sigma\tau\epsilon\iota$, id enim officium redemptoris non patiebatur. Iam verò & $\kappa\tau\eta\sigma\tau\epsilon\iota$ & $\chi\epsilon\eta\sigma\tau\epsilon\iota$ eam possidet, ut cum fiducia nobis ad ipsum pateat accessus. Heb. 4. 16.

XXXV. Contra vim vivificandi tale afferunt argumentum: Si carni Christi communicata est vis vivificandi

vificandi ex Joh. 6. sequitur carnem descendisse de caelo. Posterius absurdum. Ergo & prius. Resp. 1. Negatur Con. Utrumq; enim est in textu, & carnem vivificare, & Personam (Ego) descendisse de caelo. 2. Vox descendendi hic non notat localem motum, sed describit incarnationem, quae neq; de λόγῳ tantum neq; de carne tantum praedicatur, sed de λόγῳ carnem assumente, & carne à λόγῳ assumta, &c.

XXXVI. Vim θαυματουργικὴν tali argumento eludere conantur. Si fimbria Christi non potest dici θαυματοποιῶν, licet sanaverit Mulierem Luc. 8. 44. neq; carni Christi talis vis ascribi potest. Resp. 1. Blasphemum esse carnem Christi cum fimbria conferre, cur enim eodem modo non dicunt fimbriam esse vivificam? An fimbria etiam τῷ λόγῳ personaliter unita est? 2. In textu dicit Lucas vim illam (non à fimbria sed) à Christi carne exivisse. Illi igitur non fimbriae est ascribenda.

XXXVII. Contra potestatem judicariam objicere solent dicta Marc. 13, 32. & Luc. 2. 53. Quae ad omniscientiam potius impugnandam adhibentur, relinquimus igitur illa sequenti disputationi. Et sic nostrae sententiae veritatem stabilivimus.

XXXVIII. Noli igitur timere vermis Iacob & qui CAP. VI. mortui estis ex Israel: Ego auxiliator sum tibi, in Conclusio quit Dominus & redemptor tuus Sanctus Israel. Licet Practica enim pauper sis & ebrius nō à vino. Dominator ta- Es. 41. 14. 6. men tuus, qui pugnat pro populo suo, tollet de ma- 51. 3. 11. 12. nu tua 21.

tu tuas calicem saporis, crassamentum fundi, calicem indignationis Domini, nec adjiciet, ut bibas ultra. Quis separabit te à dilectione Christi? Quis accusabit aut condemnabit? Deus est qui justificat. Christus Iesus est qui mortuus est, imò qui resurrexit & sedet ad dextram DEI.

Rom. 8. 33.
34.

Psal. 14. 4.


Psal. 2. 1. 2.

6. 8. 12.

XXXIX. Vos vero qui operamini Iniquitatem, qui devoratis plebem Domini sicut escam panis, nonne hoc cognoscitis? Quousque fremetis & assistetis adversus Dominum & adversus Christum ejus? Qui constitutus est Rex super montem sanctum Sion. Ipse vos conteret in virga ferrea & tanquam vas figuli confringet. Osculamini igitur Filium ut non irascatur & pereatis in via, cum exarserit vel minimum ira ejus. Beati autem erunt, qui ad eum se recipient. Ipsi laus honor & gloria in seculorum secula.

F I N I S.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

LOGIAS SACRAE
o Decima Octava,
De
UNICATA
SSUMTÆ OMNI-
TENTIA.
Quam
ente Θεωρεώπω
PRÆSIDIO
ASARIS MEISNERI
heol. D. & P. P.
llegio ad disputandum
proponit
R A M Dithmarfus.
d diem 9. Maij, horis
omeridianis
uditorio minori.
TEBERGÆ
ES Gormann excudebat,
le. L. CXXIV.

